UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiqvae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqva Monvmenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illvstrandam, Nvnqvam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

In Epistol. XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64144

Visual Library

IN EPISTOL. XXIV.

AB Enbaldo) *An hic diſcipulus Alcuini? Epiſtolam citat Malmesburienſ. lib. 1. de Regibus Anglorum cap. 3. & lib. 3. de Pontificib. Angl his verbis*: Huius *Egberti* ſucceſſor ſenex ſubſtitutus eſt *E*anbaldus, præfati Alcuini diſcipulus induſtrius: vnde in epiſtola ad eundem dixit: Laus & gloria Deo, qui dies meos in proſperitate bona conſeruauit, vt in exaltatione filij mei chariſſimi gauderem, qui laboraret vice mea in *E*cclesia, vbi ego nutritus & eruditus fuerã, & præeſſet theſauris ſapientiæ, in quibus me magiſter meus dilectus Archiepiſcopus *E*gbertus reliquit hæredem. Ipſe eſt *E*anbaldus, qui cum *E*thelardo Archiepiſcopo Cantuarienſi multis probitatis officiis inuaſionem, quam Offa Rex Merciorum ſuper Cantuarienſem *E*ccleſiam fecerat, ad nihilum redegit: quod Alcuinus ſignificare videtur in epiſtola ad eundem Athelardum ita dicens: *A*udiens ſalutem & proſperitatem veſtram & conuentum cum *E*boracenſi *E*piſcopo filio meo *E*anbaldo, ſatis mihi placuit, ſperanti ex veſtræ colloquio ſanctitatis vnitatem ſanctæ *E*ccleſiæ recompaginari, quæ partim diſciſſa eſt, non rationabili conſideratione, ſed quadam poteſtatis cupiditate. *Hæc apud Malmesbur.* *fol. 55. v. 29.*

IN EPISTOL. XXV.

MOnachi S. Saluatoris) *Petrus Oldradus Archiepũs Mediolanenſis, in epiſtola ad Carolum Magnum de translatione S. Auguſtini Papiam anno 725. per Luitprandum Regem, ait*: Præcipue in palatio ſuo Oratorium in honorem Saluatoris mundi exſtruxit, vbi & Sacerdotes & Clericos multos inſtituit, qui die noctuq; diuina officia exoluerẽt, attributis multis bonis vt honeſtius & alacrius Deo inſeruire poſſent. *Hæc de Papien-* *fol. 58. v. 17.*

ſi Eccleſia S. Saluatoris extructa à Luitprando de qua an intelligendus hîc Alcuinus? Non cenſeo. Nam licet Carolus M. an 774. Papiam Longobardorumq́ regnum ſubiugarit, tamen illa verba (Tam nobilis Rex nobiles debet habere miniſtros) *magis aliò quam Ticinum ducunt.*

fol. 59. v. 5. Liudgardam) *Vxorem Caroli Magni, quæ anno* 800. *defuncta eſt; Carolus è Centulo per littus Oceani venit Rotomagum, indeq; per Sequanam ad Sepulchrum S. Martini orationis cauſa, vbi pridie Non. Iunij ſepulta eſt, teſte Egoliſmenſi & Eginhardo.*

S. Capellæ) *Adrianus Papa in epiſt. ad Carolum M. vocat Engelbertum generum Caroli M.* miniſtrum Capellæ. *quod de hac noſtra intelligo. De origine Capellæ Sangallenſis de geſtis Caroli Magni.*

IN EPISTOL. XXVI.

fol. 59. v. 23. IN prouincia Scotorum) *Ita corrigo, nam m. ſ. vitioſè*: Gothorum.

fol. 60. v. 8. Fertur) *Corrigo*: feruntur.

10. Confeſſionem) *De confeſſione auriculari meminit etiam epiſt.* 2. 23. 37. 47.

32. Non ſemper confeſſio pœnitentiam ſignificat) *Eleganter de hoc S. Auguſtinus de verb. Dom. ſerm.* 8. Admonenda fuit charitas veſtra, Confeſſionem non eſſe ſemper vocem peccatoris: quia mox vt hoc verbum ſonuit Lectoris, ſecutus eſt etiam ſonus tunſionis pectoris veſtri. Audito ſcilicet, quod Dominus ait: Confiteor tibi Pater. In hoc ipſo, quod ſonuit, Confiteor, pectora veſtra tutudiſtis. Tundere autem pectus quid eſt, niſi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? Quare hoc feciſtis, niſi quia audiſtis, Confiteor tibi pater? Confiteor, audiſtis: Quis eſt, qui confitetur, non attendiſtis.

fol. 61. v. 15. Si quis peccator eſt,) *Illud S. Iacobi* 5. Infirmatur quis